

cuius ad effigiem non tantum meiere fas est.
 Vestibulis abeunt ueteres lassique clientes
 uotaque deponunt, quamquam longissima cenae
 spes homini; caulis miseris atque ignis emendus.
 Optima siluarum interea pelagique uorabit 135
 rex horum uacuisque toris tantum ipse iacebit.
 Nam de tot pulchris et latis orbibus et tam
 antiquis una comedunt patrimonia mensa.
 Nullus iam parasitus erit. Sed quis ferat istas
 luxuriae sordes? Quanta est gula quae sibi totos 140
 ponit apros, animal propter conuiuia natum?
 Poena tamen praesens, cum tu deponis amictus
 turgidus et crudum pauonem in balnea portas.
 Hinc subitae mortes atque intestata senectus
 et noua nec tristis per cunctas fabula cenas; 145
 ducitur iratis plaudendum funus amicis.

Nil erit ulterius quod nostris moribus addat
 posteritas, eadem facient cupientque minores,
 omne in praecipiti uitium stetit. Vtere uelis,
 totos pande sinus. Dices hic forsitan : « Vnde 150
 ingenium par materiae? Vnde illa priorum
 scribendi quodcumque animo flagrante liberet
 simplicitas? » — « Cuius non audeo dicere nomen?
 Quid refert, dictis ignoscat Mucius an non? »
 — « Pone Tigellinum : taeda lucebis in illa 155
 qua stantes ardent qui fixo pectore fumant,